

lignum subest. quod ipsum quoque politum nitet. Planta quam habeo, quinque ferè palmos longa est. Radix seu basis potiùs plana ferè lataque est, sed inæqualis, & aspera tofaceâ quadam substantia & cauernosa, lata digitos quinque, longa septem. Truncus & precedentiibus ab eo partes quædam latæ sunt, & in ramos vt vola seu palma manus in digitos finduntur: vnde Palma marina non immeritò nominari posset. Alia quidem videtur, sed cognata Palma marina Theophrasti (Historiæ 4.7. vbi de alijs etiam marinis plantis agit) cui ab intensè rubro seu puniceo colore nomen Palmæ communicatum videtur, potiùs quàm à figura: et si ea quoque vt alia pleraque (preter colorem & folia) conuenire ei videntur. Caulis medius, inquit, transit per totum. pelagica est: caudice admodum breui: virgis rectis, quæ ab inferiore parte sursum tendunt, nõ in ambitu, sed velut in latitudinè, &c. Hoc